353
351
357
347
362
342
402
302
452
252

partem, a qua non distat nisi mille quingentis passibus. Altero promontorio respicit Africam, a qua distat non amplius quam centum XX millia passuum. Tertio vero promontorio respicit Asiam, a qua longo interjacente mari Adriatico et Aegaeo divisa est. Et notandum, quod in constitutionibus nostris ponuntur duae provinciae, scilicet Trinacria et Sicilia, et tamen ipsa Trinacria Sicilia ab antiquo (**191 a**) nuncupata fuit a Silico Agenoris filio. Sed illam differentiam ponunt multi, quod partem illam regni Siciliae, quae aquis circumdatur et insula est, nominant Trinacriam, aliam autem Italiae partem condependentem et ad regnum Siciliae pertinentem nominant Siciliam. Alii vero, et praecipue illi de insula, verecundantur de hoc nomine Trinacria, dicentes, a Teutonicis esse inventum, quod tamen verum non est, sed ante omnia alia nomina dicta fuit Trinacria, sicut patet per Joh. Bocc. L. 10. C. 42 de Generatione deorum gentilium, et Isidem 33. C. 6. Ethicorum 1., et Diodorus Siculus eam Trinacriam nominat. Post haec dicta fuit Sicania, a Sicano filio Neptuni, antiquissimo ejus rege, post quem regnavit Siculus eamque Siciliam nominavit. Contendunt Siculi de insula dicentes, quod ipsa insula deberet nominari absolute Sicilia in nominativo: alia vero pars regni in obliquo, ut diceretur, provincia regni Siciliae. His contentionibus aliquando interfui.

Haec igitur insula, de qua loquimur, ditissima est, abundans omnibus bonis mundi, unde antiqui eam vocaverunt horreum Romanorum, propter abundantiam frumenti, olei, mellis, croci et animalium comestibilium, pellium, lanarum et caseorum. Ad hanc insulam propter ejus temperatum aërem credunt nonnulli emigrare de partibus Teutoniae hirundines adveniente hieme, et inde reverti. Unde legi in quodam vetustissimo libello, quod quidam Teutonicus mirabundus alligavit hirundini domus suae tempore recessus schedulam sic scriptam: hirundo, ubi habitas in hieme? quae avolans cum schedula, dum peracto hieme reverteretur, reportavit schedulam aliam, sic scriptam: in Sicilia, in domo Petri.

In ea insula sunt magnae urbes, ut Cathana, in qua S. Agatha passa fuit, et Syracusa, in qua S. Lucia martyrium sustinuit, et Panormus et aliae.

Sexta decima die erant adhuc venti acres, nec speravimus nos de portu posse exire, unde in conventum transivi, celebravi

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;